



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. De Analogis in communi, & de eorum diuisione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

Diffensio hac solum est de vocibus, in qua primò certum cenleo, nostrum actum, etiam si indiuisibilem, posse simul plura ut plura cognoscere; ut quando dico, *Petrus non est Deus*, illud iudicium est indiuisibile, & tamen cognoscit plura ut diuersa, negat enim vnum de alio: ergo potest noster intellectus plura ut plura cognoscere, de quo in libris de Anima falius. Cenleo Secundo, prædictum actum dicendum æquiuocum, ut fert communis opinio, quam hac ratione confirmo: quia etiam nomen Vniuocum, ut tale, non debet semper supponi pro omnibus suis significatis. quando enim dico, *vidi equum*, non dico me vidisse omnes equos, sed hunc vel illum; & quoad hoc audiens etiam potest æquiuocari, reputando vnum pro altero, sicut quando audit *Gallus*; ergo quoad hoc non est differentia inter nomen Vniuocum & Æquiuocum. Rursus, si nomen Vniuocum non semper supponi pro suis significatis omnibus, non impedit ne conceptus illi respondens essentialiter æquè omnia repræsentet, ita è contrario, quod actus intellectus plura ut plura cognoscens semper omnia repræsentet simul, non oberit æquiuocationi; quia non impedit, ne nomen illi respondens supponatur pro omnibus suis significatis simul, sed iam poterit pro vno, iam pro altero; ergo actum intellectus simul omnia cognoscere, non magis impedit æquiuocationem, quam non impedit vniuocationem. Eodem ergo modo de utroque discurrendum est, & concedendum, posse esse in mente æquiuocationem. Sed quaestio est, ut dixi, de nomine, nec magni momenti.

SECTIO II.

De Denominatiuis.

DENOMINATIVA definiuntur ab Aristotele esse, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu. Quam definitionem reiciunt nonnulli, quia *album* est Denominatiuum ab *albedine*, à quâ plus quam casu differt, quia distinguitur realiter ab illâ. Alij eam explicant ita, ut non distinguitur Denominatiuum in formali significato ab ipsâ formâ denominante, nisi solo casu. Cum autem formale significatum vocis *album* sit *albedo*, quæ non distinguitur à seipsâ, quæ est forma denominans, nisi solo casu, quia *album* ponitur in Nominatiuo, *albedo* verò in obliquo; inde fit ut recta videatur Aristotelis definitio.

8 Sed contra hanc explicationem obicitur: Quia si distinctio in casu solum debet esse in formali significato, non datur distinctio inter *album* & *albedinem*, quia formale significatum est *albedo*, *albedo* autem neque casu differt à seipsâ, nisi dicas, *album* explicari habens *albedinem*, ubi iam *albedo* ponitur in alio casu.

Secundo alij impugnant prædictam definitionem, quia *album* v. g. & *albedo* non differunt; neque casu, utrumque enim est in Nominatiuo. Respondent nonnulli, differentiam non consistere in eo quod vnum sit in Nominatiuo, aliud in diuerso casu (ea enim esset Grammatica consideratio;) sed consistere in eo, quod Denominatiuum incipiat tunc iisdem syllabis, quibus inci-

pit forma denominans: nam *album* & *albedo* incipiunt per *alb*, differunt tamen in casu, id est in cadentiâ, quia vnum finitur in *um*, aliud in *edo*. Sed si hi primam explicationem, quia Grammatica est, reiciunt, potuissent aduertere, hanc secundam vel Grammaticam esse indignam. Præterea, multa Denominatiua terminantur eodem modo, ac forma denominans; ut *mulier Grammatica*, ac *Grammatica* à quâ denominatur.

Reiectis ergo his nugis, Denominatiua definiuntur ea esse, quæ ab aliquâ formâ accidentali denominantur, sine differentia casu, sine non. hæ enim considerationes sunt indignæ Logicis. *sanctum*, verbi gratiâ est Denominatiuum à *sanctitate*, *iustum* à *iustitiâ*, &c. Excluduntur à Denominatiuis composita substantialia, etsi subiectum denominetur à formâ substantiali: nam Denominatiuum in communi acceptione solum videtur significare denominationes à formis accidentalibus provenientes, non solum applicatur communiter formis extrinsecis, v. g. cognitioni denominanti extrinsecè rem cognitam. Idem est de alijs actibus voluntatis, & aliarum potentialium: quod confirmari potest ex Caietano, asserente ea esse Denominatiua, quæ dant subiecto nomen, non verò aliquam entitatem; quod solum conuenit formis extrinsecis, nam intrinsecè seipsas communicant subiecto simul cum nomine.

Ex his colliges, frustra distingui à nonnullis Denominatiua in Denominatiua in re simul & in voce, & in Denominatiua solâ voce aut solâ re. Sapiens (inquiunt) & sapientia sunt denominatiua in re & voce; officiosus verò ab officio solum est denominatiuum in nomine ab officio, non verò in re, quia officium non significat idem ac officiosus. Sed quia hi fugiunt Grammaticam, malè in eâ impingunt: officium enim etiam significat Latine idem ac *obsequia*, sicut officiosus idem significat ac *obsequens*, *gratus*. Alia Denominatiua ponunt, ut *studiosus* à virtute, nam in re est Denominatiuum, non tamen in voce. Omnes istæ distinctiones & diuisiones Denominatiuorum sunt omnino alienæ à nostro instituto, quare de illis non est curandum.

SECTIO III.

De Analogis in communi, & de eorum diuisione.

ANALOGA, media inter Vniuoca & Æquiuoca, definiuntur ab Aristotele 4. Metaphysices cap. 2. & lib. 5. cap. 6. & 1. Ethicorum cap. 6. & 7. *Analogæ sunt, quorum nomen est commune, ratio verò significata neque omnino eadem, neque omnino diuersa*. Quatenus non sunt omnino diuersa, differunt ab Æquiuocis: quatenus verò nec omnino eadem, differunt ab Vniuocis.

Aduerte, ad rationem analogam requiri, ut conuenientia & disconuenientia sit in eadem ratione significatâ per vocem analogam, ut v. g. inter pratum & hominem in ratione ridendi, in quâ habent aliquam similitudinem, sed non omnimodam.

Analogæ communiter diuiduntur in *propria*, 11 & in *impropria*. Illa dicuntur, in quibus reperitur propriè ratio significatâ per nomen, ut ratio entis

entis in Deo & creaturis, respectu quorum communiter censetur analoga.

Hæc alia sunt *inequalitatis*, alia *proportionalitatis* seu proportionis. Analoga *inequalitatis* sunt, quæ participant eamdem rationem vniocam cum aliquâ inæqualitate, quales sunt omnes species cuiuslibet generis, quæ semper aut ferè semper sunt inæquales in perfectione. sed hæc sunt rigorosissima Vnioca, idè de illis nihil amplius dicemus.

Analoga *proportionalitatis*, seu proportionis difficilè explicantur à Doctoribus. Nonnulli contendunt, ea confundere cum Analogis impropriis (de quibus statim): solum enim intelligunt Analoga proportionis ea, in quibus omnibus non reperitur propriè ratio significata per nomen, sed in vno tantum, ut risus, qui non convenit propriè prato, sed tantum homini. Alij contendunt, etiam in analogatis omnibus proportionis posse reperiri propriè rationem significatam per nomen, etiam si cum aliquâ differentia, quæ consistit in eo, quod ratio significata prius petit contrahi per vnum analogum quam per aliud: ut v. g. ratio entis, quæ prius petit contrahi Deo, quam à creaturâ. Alij differentiam Analogorum solum constituunt in eo, quod ratio communis transcendat differentias. Alij in eo, quod principale analogatum participet rationem analogam independentem ab alio, Analoga autem minùs principalia illam participant dependentem à principali. quos omnes modos dicendi fusiùs paulò post examinabimus.

Analoga *impropria* explicata sunt proximè in exemplo risus, qui tantum in vno extremo reperitur propriè, in alio verò per Metaphoram, quæ Metaphora vel potest defumi ab aliquâ similitudine, quæ videtur esse inter extrema Analoga, ut in risu: sicut enim homo ridens exultat reliquos, ita pratum suo virore & florum varietate oculos inuentum recreat, exultat aspicientium animos; quare Metaphoricè dicitur ridere, propter hanc imperfectam similitudinem. In aliis verò sumitur Metaphora ex habitudine causæ, effectus aut signi: quâ ratione, licet propriè soli animali conveniat ratio sani, quæ consistit in perfectâ ad vitam conservandam quatuor humorum temperie; nihilominus vrina dicitur sana, quia est signum sanitatis; eibus dicitur sanus, quia est causa sanitatis. In his ratio Analogi in vno tantum reperitur intrinsecè, in aliis extrinsecè & denominatiuè à sanitate, v. g. animalis, quæ est illis extrinsecè, differuntque à primis Analogis impropriis, quia in illis intrinsecè reperitur saltem aliqua proportio imperfecta cum Analogo principali, à quâ denominantur eadem voce, quâ Analogum principale. At verò hæc Analoga vltima, quæ attributionis dicuntur, communiter non participant intrinsecè aliquam similitudinem cum Analogo principali, ideoque in illis est merè extrinsecè denominatio, v. g. ratio sani, causa sanitatis.

Analoga *attributionis* non possunt definiri (loquor de minùs principalibus) nisi in ordine ad Analogum principale: neque enim pos-

sumus definire vrinam ut sanam, nisi explicando eam esse signum sanitatis animalis; nec medicamentum ut sanum, nisi quia est causa sanitatis animalis; in quibus semper attingitur in obliquo sanitas animalis. E contrario verò sanum, quod est Analogum principale, rectè definitur sine ordine ad Analoga minùs principalia: ut enim explicem sanitatem animalis, non est necessarium cognoscere medicamenta, sed sufficit, si cognoscam perfectam temperiem quatuor humorum, in quâ formaliter consistit ea sanitas.

Aduerte Primò circa hæc Analoga, licet sanum v. g. respectu animalis vrinæ & medicamenti, sit Analogum, comparatum tamen solum respectu omnium animantium inter se, vel omnium medicamentorum inter se, esse Vniocum; quia vniocè conueniunt medicamenta in ratione causæ sanitatis inter se, & animalia in eo quod est formaliter esse sana, & vrinæ in eo quod sunt signa sanitatis.

Aduerte Secundo, in Analogis omnibus impropriis nomen Analogum absolute prolatum, supponi semper pro famosiori analogato: cuius ea est ratio, quia cum res significata per nomen Analogum propriè tantum sit in principali analogato, in aliis verò impropriè; nomen absolute prolatum solum propriè supponitur pro principali, ut risus pro risu hominis, sanum pro animali sano, Alexander pro Macedone, & sic de aliis. In Analogis verò propriis (si quæ sint) non supponitur nomen absolute prolatum solum pro principali Analogo, sed pro omnibus; quia in illis propriè reperitur ratio significata per nomen. v. g. ens absolute prolatus non tantum significat Deum, sed etiam creaturas, etiam in sententiâ constituente illud analogum.

Tertiò aduerte, posse eandem rem simul in eodem nomine habere duplicem analogiam impropriam: pomum v. g. in ratione sani habet analogiam attributionis cum sanitate animalis, quia est causa illius; item habet analogiam proportionis, quatenus dicitur etiam sanum, quia in se est integrum incorruptum, siue sit nocium siue non.

Hic disputant nonnulli, vtrum hæc Analoga impropria, sint impropria in ratione Analogorum, an verò, licet sint propria Analoga, vocentur tamen impropria præcisè, quia non participant propriè rationem significatam per nomen. Hæc est quæstio de nomine, & parui momenti, in quo placent negantes, illa esse propria in ratione Analogi: quia si attendamus ad definitionem Analogorum, requiritur, ut Analoga conueniant & differant in ratione significatâ per nomen; sed eo ipso, quod illa ratio non sit propriè in Analogis omnibus, non possunt Analoga propriè in illâ conuenire. neque enim possum propriè cum alio continere in eo prædicato, quod propriè in me non est; ergo eo ipso quod non datur propriè ratio significata in omnibus Analogis, non participant propriè rationem Analogorum, quia non participant propriè conuenientiam.